

**Ingenuæ pietatis
lacrimae super
manes sanctissimos
reverendissimi
patris ac...**

1700-1829 81 Cbza Fo1.



**National Library
of Sweden**

INGENUÆ PIETATIS LACRIMAE

Super

Manes Sanctissimos

Reverendissimi Patris ac Doctoris

DOMINI

LAURENTII
TAMMELINI,

EPISCOPI Aboënsis Eminentissimi, Academiae ibidem PRO-CANCEL-
LARI Magnificentissimi, Consistorii Ecclesiastici PRÆSIDIS Gravissimi,
Scholarumque per totam diocesin adcuratissimi, Mæcenatisque
olim benignissimi

Dum

Anima Deo inter suspiria commendata die XVII. Julii MDCCXXXIII. di-
gnissimo honestissimoque funere efferebatur.

à Cliente Superstite

Justissime Fulx.

ABOË, Excud. Joh. Kiämpe Reg. Acad. Typogr.

M. H. C.



Eu mihi! quanta premit nostram mutatio sortem:
Heu mihi quam iusti causa doloris adest:
Occubuit diræ confossus cuspidè mortis
TAMMELINUS sancti gloria summa chori:
Auraidum jacet heu! Pro Cancellarius ecce
Ingens doctorum Theologûmque decus,
Communis dolor est: mœstæ nunc plangite Musæ
Vos quoque jam gemitus pullaque palla decent.
Heu mihi! fluctivagis nunquam non volvitur undis
Omnes, perpetuo mobilis instar aquæ,
Nondum jejuni saturamur pulvere terræ.
Cum subit, hoc fugiens mobile vita malum
Quid nisi fortunæ discus, turboque trochusque,
Fumus & umbra sumus, quid nisi putris humus?
O miseram sortem glebæ, vitamque caducam!
Omnes concepti legibus hisce sumus:
Nec meritis clarus, canis insignis & annis
Excipitur fato TAMMELINUSQVE suo,
Qui probe dum vixit, studiis & moribus æquis
Immoriens, placide sidera summa petit.
Nam sibi commissi promovit commoda Cleri,
Et prodelle suis civibus appetit,
Otia non carpsit, Somnos neglexit inertes
Perdus & pernox in statione manens.
Dumque agit, à solo capiens primordia cœlo
Attraxit pronum in sua vota DEUM:

Principium omne Viri pietas huc rettulit, omnis
Redditus auctori est exitus atque DEO.
Noverat obsequiis Magnos vincere Regentes
Officiis alios atque ligare piis.
Summa utrinque fides, Summa & constantia gratum
Præstitit & cælo, præstitit atque solo.
Hunc talem superi magnis successibus auctum
Ornarunt crebris, quæ placuere, bonis.
Non tua, crede, domus jacet, aut est stirps tua sola,
TAMMELIN, agnovit te sine labe patrem.
Urbs qua tota patet, qua se Fenningia pandit,
Qua ripas tremulis Bothnia lambit aquis.
Cunctorum communis eras Præsulque Paterque
Consiliis, opibus, munere, mente, manu.
Ergo nec exactos Patriæ tu subtrahis annos,
Membra nec Autumnis debilitata suis.
Quin ubi fracta Virum res posceret undique firmum
Expertus toties te tua turba petit
Nec Tu segnis eras: Nam publica vota capeffens
Res cæli auxilio dexter ubique geris.
Insuper adversis valide est exercita virtus
Præsulis; horum etiam commeminisse juvat.
Scilicet incensa dum trux dominatur in urbe
Mavors, & passim flamma corusca furit,
Templa ruunt, urbs tota perit, Fenningia plorat
In cinerem versas dilacerata domos.
Acrius urgetur tantis tum cladibus exul
Noster, & immerito cogitur esse miser.
Non tamen ille animos post tot dispendia tristis
Despondet: Segnes arguit ipse timor.
Istibus at tantis damnisque viriliter usus
In se speranti sensit adesse DEUM,
Eque ipsis surgens crevit fortuna favillis
Factus & est sensim lætior ipse cinis.
TAMMELINUS crevit rediviva sorte beatus,
Dum complet numeri fata suprema sui,
Atque gravem senio iusto, saturumque dierum
Mors demum optata solveret ipsa manu:
Cœlestem mens læta Patrem petit, ossa sepulcrum
Contegit, æternum fama superstes erit.

Salve

Salve igitur Venerande parens, sanctissime Præsul,
Salve chare Deo, multum & amate vale!
O mihi sic veniat placido Mors ardua fato!
O Tibi in Elysius postea jungar agris!
Flete leves Elegi! mihi vox modo sufficit una,
Literulis quatuor congeminata: Flco!

